

No. 146. 1249. 23. März.

*P. Innocentius IV. verleiht denen, welche die Domkirche am Feste Donati (7. Aug.) und während der Octaven desselben jährlich bussfertig besuchen, vierzig Tage Ablass.*

Innocentius episcopus servus servorum dei, dilectis filiis . . praeposito, . . decano et capitulo ecclesiae Misnensis salutem et apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur de abundantia pietatis suae, quae merita supplicium excedit et vota bene servientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri, nihilominus tamen desiderantes reddere domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia vestra in honorem beati Donati confessoris et episcopi dedicata, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in festo praedicti confessoris et usque ad octavas eiusdem annis singulis visiterint quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni X. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

Aussen: † Brant †

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit der Bleibulle an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 147. 1249. 22. Apr.

*P. Innocenz IV. befiehlt dem B. Conrad die Anhänger des gegen seinen Vater, den K. Wenzel von Böhmen aufständigen Markgrafen Přemysl Otakar erstlich zur Rückkehr in den Gehorsam gegen den König zu ermahnen, bei Nichtbefolgung mit geschärfter Excommunication zu belegen, den B. von Prag zur Verantwortung nach Rom zu senden, ungehorsame Geistliche aber zu entfernen und deren Stellen unter Umständen anderweit zu besetzen.*

Innocentius servus servorum dei venerabili fratri . . Misnensi episcopo salutem etc. Paternae benedictionis auctoritas devotum filium erigit in sublime ac eius contrarium erectum subito crudeliter eradicat. Unde Joseph accrescens filius nuncupatur et Chanaan cum sua progenie subiicitur servituti. Absolon quoque in quercu suspenditur et Salomon paterni culminis recipit diadema. Haec et quod in sacra pagina legitur, 'honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram', si nobilis vir natus carissimi in Christo filii nostri illustris regis Boemiae prout convenit diligenter attenderet, ipsum regem patrem suum tanquam filius benedictionis paternam hereditatem cupiens honoraret et ab eius offensa penitus abstineret. Sed idem quorundam baronum regni Boemiae, qui bona pacis oderunt et in malis discordiarum exultant, ductus iniquis persuasionibus et seductus una cum ipsis, sicut accepimus, crudeliter praedictum regem persequitur et hostili persecutione impugnat in detrimentum personae ac status ipsius regni, cum Corrado nato Frederici quondam imperatoris, duce Bauariae ac aliis ecclesiae persecutoribus foedus amicitiae ac societatis